



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Sponsalibus & matrim. Consilium DXXXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

proinde rectè, & ex consilio Canonis, in c. cum locum De sponsal in Monasterio non suspecto sequestrata est dicta Anna ad conservationem libertatis; quam & leges, & Canones in matrimonio probant, & requirunt.

De Sponsalibus & matrim.

SUMMARIUM.

In causa matrimoniali an iuramentum deferendum.

1. Iuramentum quod in iudicio deferretur, an Iudex possit non admittere.
2. Matrimonium an contrahatur his verbis: promitto alteri non nubere nisi tibi.
3. Matrimonialis causa ardua est.
4. Iuramentum qui de matrimonio litigant sibi invicem deferre possunt.
5. Matrimonium requirit mutuum ac reciprocum, purum & non conditionalem utriusque consensum.
6. 8. Conditionalem actum qui egit, si iterum agat simpliciter, quando censetur sub eadem conditione fecisse.
7. Matrimonium ad consensum parentum referri honestum est.
9. Matrimonium non inducit missio annuli.

CONSILIVM DXXXII.

DIFFICULTATE aut perplexitate non parvè obvolvi videtur articulus altercationis, qui incidit in ardua matrimonij causa, quam Generosus Dominus Claudius Rihroock adversus Dominam Mariam Lidekercke coram Domino Officiali Gandavensi instituit, super eo, nūm permitti debeat Dominæ Mariæ, ut præstet iuramentum ex voluntate dicti Domini Claudij in iudicio ei delatum, super eo, quòd verba literis suis ad Actorem scriptis inserta, quæ simplicem præsentis matrimonij contractum representant videntur, scripserit & intellexerit sub ea conditione, si parentibus sui placeret sive si actor parentum Maria consensum impetraret.

1. Difficultatis causæ sunt, quod quamvis iuramentum voluntarium seu conventionale a partium voluntate dependeat, ac sine Iudice, & extra acta deferri, & præstari possit, l. Admonendi De iureiur. iuncta l. si ve apud acta C. De testat. cum tamen in iudicio deferretur, Iudicis approbationem requirere videatur, vel expressam, vel tacitam, ut non contradicatur, Barbatta consil. 49. Quia præsens nu. 6. vol. 3. contradicendi autem potestatem habeat, si perjurij periculum imminere videat, si quod in conditione iurisjurandi ponitur, contraria probatione falsum esse constet: ut quemadmodum qui intentionem suam plenè probavit, pro supplemento jurare non cogitur, c. 2. De probat. l. si. in l. manifeste nu. 7. C. De iureiur. ita quoque Iudex eidem permittere non cogatur, ut in conditione iurisjurandi ponat contrarium illius, quod probavit. * Id quod in præsentis causa videri posset ex eo, quòd literæ, in quibus Actor fidei datione collocat contracti matrimonij, plenam probationem continere videantur; hæc scilicet, *selon la promesse, que vous ay fait, ne penser jamais autre que vous; dont vous tiens pour mon mary devant Dieu, & le monde: & en signe de fidelité vous envoie ceste verge d'or, laquelle vous peut donner toute assurance.* hoc est, iuxta promissionem tibi

Conf. Wamel. Tom. II.

factam, me non cogitare alium, quam te; inde te teneo pro meo marito coram Deo & mundo; & in signum fidelitatis tibi mitto hunc anulum aureum, qui potest tibi dare omnem securitatem. Nam licet in controversia sit, num his verbis, *Promitto alteri non nubere, nisi tibi*, contrahatur matrimonium, quod plerique ex veteribus existimaverunt, *et alij in l. ex parte De sponsal.* plerique ex veteribus, & neotericis penè omnibus id improbantibus, *cepolla consil. 1. Alciat. in l. actione nu. 15. Car. Mojm. ad consil. Alex. 150. Viso processu vol. 5. Didac. Covar. in sua epit. l. de sponsal. & matrim. 2. parte cap. 4. §. 1. nu. 6.* & rectius, sic ut nec sponsalia ijs verbis contracta videri possint, *lo. n. Franc. Ripa consil. 1. Ex tribus sub tit. de sponsal. & matrim.* quia tamen subiungit in dictis literis, *Dont ie vous tiens pour mon mary*, hoc est, *Unde te teneo pro meo marito*, quæ præsentis temporis significationem habent, & à nulla conditione suspensa conspiciuntur; præsentis perfectique matrimonij potestatem habere videntur. Cujus perfectionis adminiculum adferre quoque videtur depositio unius testis, qui testatur, Ream sibi dixisse, quòd cum Actore in promissionibus matrimonij staret, quòdque alium maritum habere non posset. Cui consonat etiam depositio alterius secundi testis de simili confessione Reæ; qui hoc præterea addit, Ream dixisse, quòd aliter esse non posset, quòdque res ita manere deberet; intelligens nimirum contracti matrimonij irrevocabilitatem. Quòd etiam referendum videtur, quod deponit tertius testis, se rogatum fuisse à dicta Rea, ut renuntiaret Actori, quòd maneret ipsi legalis, & fidelis, quòdque teneret & observaret quod ei promiserat: atque item hoc, quòd idem testis deponit, Ream rogasse, ut Actor literas fidei dationis remitteret, quòd matrem placare posset, promittens antapocham, seu contrarias literas pro securitate Actoris: rursus quòd deponit Ream admonitam agnovisse, magis marito, quam parentibus obsequendum esse. Quæ sanè omnia per se inspecta tam evidenter contracti, probatique matrimonij significationem continere videntur, ut si he absurditate aliò detorqueri vix posse videantur: ideoque nec absurdum, nec recti, constantisque Iudicis officio indignum dici debeat, quòd in permittenda iurisjurandi delatione difficilem se præbeat D. Officialis, & non nisi exactiore cognitione, expensis omnibus Actoris probationibus, ejus vel potestatem vel denegationem facere velit. Quando itaque in ea deliberatione adhuc statut, & res integra est, videamus, an nihil sit, unde prædictis probationibus tenebræ offundi, & lux veritatis eis vel eripi vel imminui possit; hoc enim si fieri potest, id est si vel dubia, vel imperfecta aut aliunde claudicantes effici, aut demonstrari possint, nihil hærendum sit, quin voluntati utriusque D. Iudex obsequi debeat.

In matrimoniali namque causa, quæ gravis, & ardua est, requiruntur probationes manifestissimæ, & quæ per se plenam, perfectamque probationem conficiant, *docet in c. si pro debitoribus De off. deleg. c. 1. de consang. & affin.* sic ut imperfectæ probationes supplemento iurisjurandi non adjuvantur; sed absolvantur, qui ad capitulum seu servitutem matrimonij vocantur, *Bart. & alij in d. l. ad-*

monendi, Gloss. & DD. in c. Mulieri De iureiur. c. fin. eod. tit. Bald. in l. Bona fidei C. eod. tit. Alex. in l. 3. in princ. eod. tit. & consil. 143. Quoniam abunde vol. 2. §. ut non sit mirum, si iuramentum ei, qui solvendus est, à parte, quæ in probationibus deficit, defecti possit. Quod enim malum in eo esse potest, si pro diluendis præsumptionibus, quæ ex imperfectis, vel dubijs probationibus exoriantur, vel Iudex, vel pars iuramentum deferat? quod & aperto iure satis decusum est, c. Attestationes de desponsat. impub. & traditionibus Doctorum comprobatur; tunc scilicet cum iuramentum non tendit in præjudicium alterius vel præteriti vel sequentis matrimonij, Panor. in d. c. Mulieri nu. 6. Covar. d. part. 2. cap. 4. nu. 5. ut est in proposito: nam nullum matrimonium utrumque est, cui ex hac delatione iuramenti, per dictam Mariam præstandi, præjudicium aliquod generari possit; nec etiam alius quisquam, qui hoc iuramento, & per absolutionem ipsius Mariæ, lædi possit. Eo potissimum attento, quod hic nulla conclusionis possit esse suspicio; ex eo, quod ea allegatio, super quâ iuramentum defertur, in initio litis pro parte Reæ fuerit proposita, eademque Rea in illa ad finem usque perstiterit. Eo quoque considerato, quod eadem allegatio directio non pugnet cum verbis dictarum literarum, sed cum eis stare possit; ita ut iuramento præstito Actor nullum vel nominis vel animæ periculum metuere debeat: cum magis hic quærat de viribus exceptionis, quàm de Actoris intentione. * Verum enim manebit ipsum in purum præsentemque matrimonium consensisse, sed tamen eo consensu purum, præsentemque matrimonium contractum non esse: contrahitur namque matrimonium mutuo & reciproco consensu, tam in foro contentioso, quàm conscientiarum, c. fin. in fine de procur. lib. 6. Anchor. conf. 228. cum duob. sequen. ita ut, si consensus deficiat ex parte alterutrius, numquam iudicetur pro matrimonio, c. Tua nos in fine de spons. & matrim. Lud. Gor. ad in. conf. 77. Prima facie videtur nu. 8. Socin. conf. 28. circa primum quesitum nu. 3. & 4. vol. 1. Eadem est ratio, si in consensu utrumque præstito sit difformitas; veluti si unus de præsentem, alter de futuro; unus purè, alter sub conditione promittat, Bald. conf. 156. casus est talis nu. 2. vol. 2. Videamus ergo num illius conditionis aliqua sit verisimilitudo, unde liquida etiam probatio Actoris, quam in dictis literis constituit, obscurari possit; conditionis inquam, quod Rea verba suarum literarum intellexerit, si parentibus placeret; sive si Actor parentum consensum impetraret? In quo demonstrando solam nudamque Reæ declarationem postea cum res controversia esse cœpit factam non intuemur; & nec nudam simplicemque Reæ cogitationem in animo retentam proponimus; propositum enim in mente retentum nihil operatur, l. si repetendi C. de condit. ob caus. dat. Socin. d. conf. 28. in princ. sed hoc investigandum suscipimus, num aliunde constare possit, Ream id cogitasse.

Et sanè quamvis hic plus tribuamus religioni iudicantis, cujus est animi motum ad propositas probationes accomodare, & informare, omnibus rerum circumstantijs expensis, l. 3. §. 1. De testib. Bald. conf. 123. Causa matrimonialis in fine vol. 2. Cur-

rius Junior conf. 52. nu. 8. nihil tamen detrectamus ea attingere, unde accommodandi, & informandi materia desumi posse videatur. Principio itaque hoc ex actis, & Actoris confessione evidenter constat, quod Rea Actori eam ambientem dixerit, se non detrectare matrimonium cum Actore, sed admonuisse Actorem, ut consensum, & benevolentiam patris captaret; eoque facto ex sua parte nullam difficultatem futuram. Quo constituto facillima præsumptio est, Ream subsequenter literas sub eadem conditione scripsisse; licet conditio expressim litteris inserta non sit. * Nam licet qui actum prius cum conditione facit, postea eundem iterando, & faciendo simpliciter videatur purè consensisse, gloss. in d. c. Tua nos, l. Cum in plures §. locator horrei D. Locatis id tamen verum non est, si præcedens conditio, vel protestatio, quæ resultat ex adjuncta conditione, vestita sit vestimento iustæ causæ, §. 1. Inst. De nupt. c. videtur qui matrim. accus. poss.

Iusta autem causa est, quâ matrimonium ad parentum consensum rejicitur; cum & civilis & 7 naturalis ratio dicat, parentum consensum in nuptijs liberorum requiri, §. 1. Inst. De nupt. c. videtur qui matrim. accus. poss. & magis in filia, quàm filio, ob naturalem verecundiam, l. Vidua, l. In coniunctione C. De nupt. Vtique adeo ut filij, seu filiarum familias (quælis est Rea) sine consensu patris contraheant nuptias, jure civili pro nullis habeantur, l. 2. De iur. nupt. l. Paulus de statu hom. & jure Canonico honeste reputetur conditio matrimonij, si ab impetratione consensu suspendatur, c. Super eo de condit. appof.

* Sic ut, quemadmodum ante diximus, propositum in mente retentum nihil operari, proclive admodum sit, hanc cogitationem præsumere: quia jus præsumat liberos nisi consentientibus parentibus nuptias contrahere vellet; quo casu propositum etiam in mente retentum multum operatur, in d. l. si repetendi, Iason in l. Dedi §. si liber in 6. notab. de condit. causa data, Roman. consil. 417. In proposito. Antecedens itaque declaratio Reæ repetita & subintellecta haberi debet in sequenti promissione. Ut in non absimili specie eleganter respondit Paulus Castrensis, conf. 45. Licet per suprascriptum, vol. 1. de antecedente promissione sub conditione, si dos solveretur, simpliciter sine eâ conditione repetita, seu renovata. Quod hic proclivius dici debet, ex eo, quod ad ulteriorem consummationem, aut copulam carnalem non sit processum, DD. in d. c. Tua nos 61. Atque item illa verba; Dont ie vous tiens pour mon mary, hoc est, nude te teneo pro meo marito, in formari debent ab ea conditione, si parentibus placeret; seu si eorum consensum impetraverit.

Quæ quidem conditio, & repetitio, & sui intelligentia tanto est probabilior, quod Actor hoc quoque fateatur, Ream ante hanc licem contestatam sibi dixisse, quod Actor eam cogere non posset, ut sibi nuberet; quodque nulla ratione intenderet sine consensu parentum Actori nubere; eundemque Actorem scire, quod hoc ei semper dixerit. Prout etiam Rea bis à Iudice interrogata, eadem constantia semper respondit, quod nunquam consenserit nec consentiet, nisi accedente parentum suorum consensu; quodque de eo semper pro-

per protestata fuerit. Ita ut ex constantibus & repetitis declarationibus, literarum missionem antecedentibus & sequentibus, eadem literæ secundum eandem declarationem intelligi debeant: media enim intelliguntur ex præcedentibus & sequentibus, l. si servus §. fin. de leg. i. sic ut merito inde pro matrimonio judicari non debeat, *Casir. d. consil. 45.*

Hoc quoque animadversione dignum est, tres alias literas sequentes, nullum continere argumentum perfectum fidei puræ & simpliciter datæ, sed ubique ac per omnia redolere imperfectionem (quam procul dubio ab injecta conditione ducendam putamus) cum in nulla illarum aliqua fiat mentio matrimonii, aut mariti vocabulo Actorum, aut se uxorem illius appelleret; dum precatur, ut Actor usu amorum suorum frui possit; dum de duritie parentum conqueritur; dum dicit de ijs rebus, quas ipse sciret, nihil esse propositum; dum scribit se mortem magis exoptare, quam quod patris prohibitio (quæ vetuerat, ne Actor loqueretur) perpetuo duraret: nam ista omnia impotenter astantis, non conjugis signa atque argumenta sunt.

Sed nec illud prætereundum est, Ream non suâ arte, sed ex præscripto, & exemplari, manu Actoris scripto, descripsisse has literas, easque manu suâ descriptas illi misisse, ut deponit alter testis, & Rea ipsa respondendo asseverat: ita ut dolus aut calliditas Actoris hic argui possit, si latius literas intelligit, quam Rea voluit; aut latius verba literarum extendit, quam inter eum, & Ream convenerat. Hoc enim ex responsionibus satis constare videtur, ante literarum missionem, Ream semper difficultatem fecisse, & ad beneplacitum parentum omnia rejecisse: ita ut cum Actor fidei dationem in ijs literis potissimum constituat, non possit dici liquidum constare, sic & eâ formâ voluisse Ream, ut verba sonant: quæ tantum Actor cavere voluisse deprehenditur sub conditione, si parentibus placeret. Ideoque etiam eodem sensu accipiendæ sunt confessiones Reæ, quæ postea sequutæ sunt; quod in promissionibus cum Actore stare; quod Actor maneret legalis, & fidelis; quod teneret & observaret quod promisit; quod remissis literis antapocham, seu contrarias literas Actori mitteret; quod res ita manere deberet; quodque alium maritum habere non posset; & si quæ sunt similia: compatiuntur etenim extrinsecus secum conditionem illam, si parentum beneplacitum impetraverit, aut si parentibus placeret; existimans se sic ligatam, ut superveniens patris consensus pro vinculo indissolubili futurus esset; ut est in conditionalibus omnibus obligationibus, quæ initio spem tribuunt, ac postea purificatâ conditione, obligationis certum vinculum injiciunt, §. ex cond. onali. Inst. de verb. oblig. Et sanè si aliter intelligendæ essent eorundem testium depositiones adversus Ream, & in illius præjudicium, fidem eatenus hic non mererentur: quia omnes ex loco & tempore singulares sunt (quod ex actis manifestus est, quam ut demonstrari debeat) quales præsertim in tam gravi causa non recipiuntur, l. iurijurandi C. de rescriptis. Ita ut solæ literæ resinguantur; quantum tenor, & potestas; ut dixi-

mus, informatur à præcedentibus, & sequentibus Reæ declarationibus, & protestationibus; partim per Actorem recognitis; partim per testium pro ipsius parte productorum depositiones manifestatis. Ex quibus hoc quoque reficiendum est ex tertij testis testimonio, quod Rea eum rogaverit, ut vellet promovere procurationes Actoris & Reæ, his verbis, *ou'il veuils avancer nostre mariage*: longa autem est differentia proci, & mariti, imò sponsi, & proci.

Quibus nihil adversatur annuli missio cum literis facta: nam nuda annuli missio non continet argumentum contracti matrimonij, sed immissio per virum præsentem præsentem facta, *vanor. in c. fin. de sponsal. DD. in c. Tenor de re iud.* præcedente verborum ad conjugium aptorum prolacione, *Aretin. conf. 12. vanor. in d. c. fin. Lopus allegat. 17.* ita ut inter absentes annuli missio contineat signum æquivocum, & non magis significet subarationem, quam simplicem donationem, *Paulus Paris. consil. 55. Attingam nu. 42. vol. 4.* munera autem hinc inde missa non probant matrimonium, c. 1. & ibi *Canonist. De matr. contra interd. Eccles. contracto.* Et denique ut immissio annuli præsumptionem contracti matrimonij inducat, necessarium est fieri secundum obtinentem consuetudinem, *DD. in d. c. fin.* At verò in hac patria, notoria est consuetudo, quod maritus seu sponsus, non uxor seu sponsa mittat: ut etiam annuli missio seu immissio in jure ad virum refertur, *can. Fama. 111. quæst. 5. c. illud de præsumpt.* Ita ut annulus à Rea Actori missus symbolum hoc secum non possit trahere; aut saltem non majus, quam verba fidei dationis, in quorum securitatem seu cautionem mitti scribitur, patiuntur. Iam verò ex superius deductis probabile fecimus, conditionem semper subfuisse hujusmodi fidei dationis verbis, si parentibus placeret. Ita quod quoquod res vertatur, verba dictarum literarum in obscurum & illiquidum sensum trahantur; aut saltem potestatem, officiumque amittant, propter injectam conditionem. De cujus injectione, ex artificiosa probatione, si non per omnia liquidissime constare videbitur; satis tamen in ea est, unde D. Officialis animi sui motum componere possit, ut credat hujusmodi Reæ assertionem esse probabilem; & ex ea probabilitate occasionem justam offerri, ex qua sine suspitione collusionis pati debeat, ut Actor (fidem assertionis agnoscens, aut suspectam habens, conscientia remorsu procul dubio urgeretur) Reæ puellæ nobili, & cujus invitæ nuptias sibi difficiles futuras agnoscit, in conditione iurijurandi ponat, quod sub conditione, quam antè expresserat, & postea reperijsse constat, verba fidei dationis literis inscripserit. Eaq; ratione & suæ famæ, ac conscientia consulat, & Ream suæ conscientia relinquat, & sine periculo alias nuptias quærat. Boni enim Iudicis est, justas litigantium postulationes exaudire, ipsique officium suum accommodare. Atque ita in ea sumus sententia, rectè atque ritè facturum D. Officialem, si prædictis alijsque acutiore investigatione percipiendis rationibus instructus, & motus, admitat Ream ad delati, acceptatiq; iurijurandi præstationem.

De